



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 9. Tenemur-ne ex jure naturali offerre Deo Sacrificia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacrificio Missæ. Cap. I. 223

ait S. Chrysoftomus : *Omnia veterum Sacrificia, nova superveniens gratia, uno complectitur Sacrificio.* S. Chrysoft. in Psal. 55.

Quest. 9. Tenemur-ne ex jure naturali offerre Deo Sacrificia ?

Resp. Ut asserit Divus Thomas ; *Ex naturali ratione procedit*, ut quemadmodum Dominis temporalibus aliqua offeruntur in recognitionem dominii ; ita etiam Deo , tanquam supremo omnium Domino , quasdam sensibiles res in signum debitæ subjectionis & honoris offeramus : unde Sacrificiorum oblatio ad jus naturæ pertinet. Naturalis ratio dicit homini , quòd alicui superiori subdatur propter defectus quos in seipso sentit , in quibus ab aliquo superiori eget adjuvari & dirigi ; & quidquid illud sit , hoc est quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur : ita etiam naturalis ratio dicit homini secundùm naturalem inclinationem , ut ei quod est supra hominem , subjectionem & honorem exhibeat secundùm suum modum ; est autem modus conveniens hominis , ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda , quia ex sensibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali ratione procedit , quòd homo quibusdam sensibilibus rebus utatur , offerens eas Deo in signum debitæ subjectionis & honoris. Hoc autem pertinet ad rationem Sacrificii ; & ideo ratio Sacrificii pertinet ad jus naturale.

Ideoque nulla est religio , sive vera sive falsa , quæ non præceperit offerre Sacrificia in signum subjectionis quæ Deo debetur. Ex quo patet quàm deploranda sit cæcitas Hæreticorum hujus temporis , qui negantes veritatem Sacro sacret: Sacrificii Missæ , quod est unicum Sacrificium exterius & visibile Christianorum,

consequenter negant illud quod essentiam Religionis constituit.

Quaest. 10. Missa est-ne verum Sacrificium?

Resp. Missam esse verum Sacrificium de fide est in Concilio Tridentino definitum sub anathemate his verbis: *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, anathema sit.*

Sess. 22. De
Sacrif. Missæ.
Can. 1.

Primum Scripturæ argumentum petitur ex cap. 1. Malachiæ Prophetæ Sacerdotes Aaroneos sic increpantis: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo Oblatio munda.*

6. Aug. lib. 9.
de Civit. Dei,
cap. 3.

Quibus verbis Propheta prædixit; ut ait S. Augustinus: *Cessaturas victimas, quas in umbra futurorum offerebant Iudei, & unum Sacrificium à solis ortu usque ad occasum, sicut jam fieri cernimus oblaturas in Sacrosancto Missæ Sacrificio quod offertur ab omnibus Christianis.*

Neque valet, quod contendunt Hæretici, præfatum illud vaticinium de Sacrificio Crucis intelligendum esse: referuntur enim ex genuina significatione vocis Hebræicæ *Mincha*, quam consultò & sancti Spiritûs afflatu adhibuit Propheta, ut apertè significaret incruentum Eucharistiæ Sacrificium. Nam *Mincha* nihil erat aliud, quàm Sacrificium farinæ, & Panis, ut videre est Levitici cap. 2. quod proindè sua specie, & forma, Eucharistiæ Sacramentum pariter, & Sacrificium luculenter adumbrabat: si quidem cum hujusmodi Sacrificio farinæ, *Mincha* scilicet, quotidie libabatur vinum in jugi Sacrificio Agni, juxta